



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-642337-p0001-6

DFG



5399.

3144

M

1693 17

I. N. J.  
DISSERTATIO JURIDICA  
exhibens  
*De*  
**PROBATIONIBUS**  
**SUMMA QVÆDAM**  
**CAPITA.**

*Qvam*  
**Auspice DEO,**  
*permittente Magnificò JČtorum Ordine*

*in*

**Illustri ad Albim Academia**

**SUB PRÆSIDIO**

**DN. GODOFREDI SVEVI,**

**J.U.D. P.P. Collegiorum Juridico-**

*rum, qvæ h̄c sunt, Assessoris & p.t.*

**DECANI,**

*In Auditorio JČtorum*

*Eruditorum examini submittit*

*d. 20. Sept. A. XCII.*

**AUTOR**

**JOHANN. CHRISTOPH. GEIGENMÜLLERUS,**  
*Oelsnitiō Variscus.*

---

**WITTENBERGÆ,**  
**STANNO KREUSIGIANO.**

2.



PROBATIONIBUS

SUMMA QVAE DAD

CAPITIA

AUDIEGO

PER MITTENAE JUVENTUTIS 30 ANNI OLYMPI

III MILLENSIS ACADEMIA

SUB PRESIDIO

DR. GODEFREDI SEBAL

DR. D. B. P. COLLEGIONUM TURGICO-

DECANI

DR. G.



## PRÆFAMEN.

**D**E qvodam elaborando Academicorum meorum qvalium cunctq; ve studiorum specimine cùm essem sollicitus, præ aliis præseis de *Probationibus* mihi placuit materia. Indolem & natu- ram ejus si considero, talis sàne est, quæ, cùm in qvotidiano usu & Pra- xi maximè necessaria sit & freqven- tissimam exhibeat utilitatem, ma- jori haud eget commendatione; cùm neq; ve hominis neq; ve legis provisio ad bonum perduci finem & effectum possit, nisi ea, qvæ in ju- dicium adducuntur, indubitâ-

A 2

pro-

probationis fide liqveat esse vera.  
Hinc probatio comparatur *luci L.*  
*fin. Cod. de Probat.* ipsumq;ve etiam  
veritatis lumen nominatur *L. 4 Cod.*  
*de Temp. & Repar. Appellat.* Et nul-  
la facti species negata ab Adversario  
consistere validè potest sine proba-  
tione, ubi enim hæc deficit, ibi defi-  
cit jus ipsum *L. 30. ff. de Testam. Tut.*  
*Anteqvàm verò id operis aggre-*  
*diar, Deum ter optimum maxi-*  
*mum, à qvo totius mundi elementa*  
*processerunt, & rerum dispositio in*  
*orbem producta est L. 1. pr. Cod. de V.*  
*J. E. obnixè invocans oro, ut cum*  
*cœlesti suo favore §. 2. Inst. proèm.*  
*mihi adesse velit, qvò hæc cuncta*  
*conamina in sui nominis gloriam,*  
*studiorum meorum incrementum*  
*proximiq;ve emolummentum felicis-*  
*simè vergant.*

Thef. I.



Thes. I.

**M**ateriam hanc explicaturus totius rei definitionem meritò præmittendam duco. Verùm necessariò erit priùs aliqualem Vociis proponere significationem & distinctionem. *Probare* duplēm significationem habet apud Latinos. Respectu *nostri*, probamus ea, qvæ nobis placent, vel accepta habentur, quomodò e. g. probatum vel approbatum opus dicitur, qvod ædificatum est ex sententia locatoris, uti *Cicero* dicit: *Probatio futura est tua, qvi locas*; Respectu *aliorum*, probare significat fidem alicui de aliquare facere, ut iterùm *Cicero* habet: probare causam, fidem, crimen & similia. Hoc in significatu hîc accipitur: *Probare* enim in hac Dissertatione est probam causam facere, seu approbare judici *L. 12. ff. de Probat. L. 3. §. 1. seq. ff. de Testib.*

Thes. II.

Probatio autem dupliciter accipi potest, vel *Propriè*, qvando is, qvi aliqvid asseverat, pro confirmando sententiæ suæ fundamento probationem affert *L. 2. ff. de Probat.* & ita aliqvid reverà exhibet *Bachov. ad Treutl. Vol. 2. disp. 4. Thes. I. lit. c.* Vel *Impropriè*, qvando is, cui incumbit probatio, necessitate probandi potius ex-

A 3 onera-

oneratur, quâ ratione præsumptio, jusjurandum  
Adversarii & Confessio probations dici possunt.  
**Conf.** *Wesenb. ff. de Probat. n. 4. Treutl. Vol. 2.*  
*disp. 4. thes. 1. lit. e. E* f. cùm tamen modi hi  
rem non tám exqvisitè demonstrare à parte A  
ctoris, qvàm ab onere potiùs probandi eum libe  
rare videantur *L. 25. princ. ff. de Probat. L. 30. ff.*  
*de Jurejur. L. 16. Cod. de Pæn.*

Thes. III.

Nunc ad definitionem ipsam progredior,  
cum verò satis in Jure periculosum sit definire *L.*  
*202. ff. de R. J.* in hac etiam materia tot invenian  
tur sententiæ ferè Doctorum, qvot capita, atqve  
hinc dubium, utrùm censore, an haruspice opus  
sit, uti aliquot definitiones recenset *Gothofredus*  
*in not. ff. ad Rubr. de Probat.* adjiciam tamen de  
scriptionem traditam à *Struvio in Syntag. Jur.*  
*Civ. Exercit. 28. thes. 2.* qvâ *Probatio est actus*  
*judicialis, qvò per idonea argumenta de facto*  
*aliquo, de quo in judicio controversia est, Ju*  
*dici fit fides.*

Thes. IV.

Probatio dividitur communiter à *Doctori*  
*bis* in artificialem & inartificialem. Probatio  
*Artificialis est*, qvæ ex causis intrinsecis atqve  
insi

insitis per solertiam probantis deponitur atque  
deducitur. *Inartificialis* est, quae ad fidem fa-  
ciendam extrinsecus adsumitur, ut per Instrumenta,  
testes, confessionem, juramentum, ocularis-  
que inspectionis argumentum *Struv. l. c. th. 4.*  
*& 5. Wesenbec. in Paratit. ad tit. de Probat.*  
*n. 4. Rosbach. in Process. tit. 53. n. 3, Dn. Stryk.*  
*in Introduct. ad Prax. forens. cap. 17. §. 9.*  
Item in Plenam & Semiplenam. *Plena* est, quae  
judici de re controversa fidem facit plenam & suf-  
ficientem. *Semiplena*, quae aliquo modō, sed  
non plenē judicem instruit, eiique per se nullam  
fidem facit, nisi adminiculis aliis adjuvetur. In  
judiciale porro & extra judiciale. *Judicia-*  
*lis*, quae fit in judicio post litem contestatam.  
*Exrajudicialis*, quae producitur ex instanti lite,  
ut quae fit ad æternam rei memoriam.

Thes. V.

Causa adstringens ad probationem est Sen-  
tentia Interlocutoria judicis, qui eam decernit &  
alterutri parti imponit *L. 12. in fin. pr. Cod. de*  
*Reb. Cred.* Imponitur vero probatio ei, qui al-  
legat, dicit aut agit in judicio aliquid *L. 2, 5, 21, 22.*  
*ff. de Probat.* sive Actor fuerit *L. 21. ff. de Pro-*  
*bat. L. 8. Cod. eod. §. 4. Instit. de Legat.* sive Reus  
*l. 5, 18.*

*L. 5. 18. §. 1. ff. de Prob. L. 9. Cod. de Except.*  
Actori licet regulariter incumbat probatio *L. 18.*  
*ff. de probat.* non vero Reo *L. 8. Cod. de probat.*  
nisi potissimum in exceptionibus, ubi, dum ali-  
quid ad sui defensionem dicit & asseverat, etiam  
Actoris partibus fungitur *L. 9. 18. §. 2. ff. de prob.*  
*L. 1. Cod. eod. L. 1. ff. de Except.* & hinc quoque  
exceptionem suam probare debet *L. 19. ff. de pro-*  
*bat. Struvius Syntag. Jur. Civ. Exercit. 28.*  
*th. 6.* Nunquam autem ei incumbit probatio,  
qui negat, quia per rerum naturam factum ne-  
gantis probatio nulla est *L. 23. Cod. de probat. L.*  
*10. Cod. de Non num. pec.*

Thes. VI.

Materia probationis sunt facta *L. 16. Cod. de*  
*probat.* nam quae *Juris scripti* sunt, non opus  
habent probatione, quia judici nota esse debent  
*pr. Inst. de Offic. Judic.* E contrario in *Jure*  
*Non-scripto* probanda sunt requisita ab allegante  
pro se consuetudinem, cum requisita haec & con-  
suetudinis introductio sint facti, licet ipsa consue-  
tudo sit Jus vid. *Bachov. in prim. part. ff. de*  
*SCtis & long. consuet.* Consuetudo haec, si per-  
antiqva esse urgetur, probanda est per duos testes  
maxime senes, qui dicunt hoc vel illud semper  
esse

esse observatvū, seqve à majoribus qvoqvè ita  
audivisse; Etsi tutiùs semper sit plures testes pro-  
duxisse. *Coler. de Process. Execut. P. I. c. 3. n.*  
*34. Mascard. de Probat. L. i. Conclus. 423.*  
*n. 33. seqq. & conclus. 424. & 413.* Solus au-  
tem Judex non potest sufficienter consuetudinis  
probationem afferre *Vid. Carpz. Decis. 3. n. 20.*  
seqq. neqvè Doctoris testimonium de eadem va-  
let arg. *L. 9. §. 1. Cod. de Testib. L. 20. in fin. ff. de*  
*Quæst.* Sed Judex vel Doctor ex Actis Publicis,  
vel ex scriptura, in qvam memoriae causâ tale  
quid est redactum, hoc vel illud ita & non aliter  
in casu tūm emergente fuisse observatum, addu-  
cat, necesse est. *Struv. in Synt. Jur. Feud. cap.*  
*i. aph. 7.*

### Thes. VII.

Facta hæc si oportet probari per testes, (nam  
possunt & aliâ ratione ostendi *L. 15. Cod. de Fid.*  
*Instrum.*) tunc duos sufficere omni jure provisum  
reperitur: *Divino: Deut. 17. v. 6. & cap. 19. v.*  
*15. Matth. 18. v. 16. Joh. 8. v. 17. Paul. 9. 2. Cor.*  
*13. v. 1. ad Hebr. 10. v. 28. Canonico: c. 23. x. de*  
*Testib. Civili: L. 12. ff. de Testib. L. 9. Cod. eod.*  
*Carol. V. Constit. Crim. art. 67. Boni gnuigsa-*  
*mēni Zeugniss. Qyanqvām in qvibusdam ca-*

B

sibus

sibus jure expressè definitis requirantur plures.  
Hunn. ad Treutl. vol. 2. d. 25. th. 6. lit. g. Imò  
in aliis nec duo testes desiderentur, qvò pertinent  
adducta exempla Thes. seq. Facta ista autem  
incerta, & de qvibus dubitatur, scil. ratione judi-  
cis, probari debent cum omnibus circumstantiis  
arg. c. 31. de Elect. in 6to. Carpz. Part. 2. Const.  
II. def. 32. num. 4. modò non sint impertinentes:  
nam has rejicit ex officio Judex. Confer. Lauterb.  
in Comp. Jur. ad tit. de Prob. Dùm ea de-  
mùm facta probanda sunt, qvæ ad causam per-  
tinent, & in qvibus qvis fundat intentionem su-  
am L. 17. Cod. de Probat.

Thes. IX.

Probatio indè debet esse concludens & per-  
tinens L. 21. in fin. Cod. de Probat. Rosbach. in  
Praxi Civ. tit. 35. n. 4. Gail. lib. 2. obs. 13. n. 5.  
Obscuram enim & ambiguam contra producen-  
tem interpretari convenit arg. L. 39. ff. de Pact.  
Qvanqvàm admittatur aliquando probatio im-  
perfecta, nimirùm in causis difficilis probationis  
Gail. lib. 2. obs. 93. n. 18. v. gr. in antiquis, in iis,  
qvæ occultè fieri solent, item in defensione Reo-  
rum Gail. L. 1. d. PP. c. 15. n. 12. & in aliis causis  
privilegiatis Coler. de Process. Execut. c. 1. n. 62.  
Conf.

Conf. Struv. in Syntag. J.C. Exercit. 28. th. 10.  
Et 11. item Lauterb. in Compend. Jur. ad tit.  
de Prob.

Thes. IX.

Forma probationis ad libelli speciem est accommodanda, & ita concipienda, ut necessariò ad Libellum concludat L. 17. Cod. de Probat. Debet autem factum probandum includi articulis certis, qvisint perspicui *Gail. lib. 1. obs. 82. n.* 11. non captiosi *Gail. ibid. obs. 81. Et 82.* sed succincti *Mynsing. Cent. 2. Obs. 55.* Probatio verò post litem contestatam demùm suscipienda, qvia, hâc nondum peractâ, Actor scire nequit, utrum & qvomodò Reus actionem neget, an verò eam confiteatur, oppositis exceptionibus vid. tit. x. ut lite non contestata Et c. Schuvvendörf. ad Fibig. p. 530. seqq. Licet qvandoqve ad probationem ante litis contestationem admittantur testes, dùm iidem nempè sunt valetudinarii, aut senes, vel in locum remotum migraturi, vel diuturnum ac periculosum iter suscepturi ac diu abfuturi, vel in loco pestilenti degentes, nempè ut ad perpetuam rei memoriam tûm examinentur. Nicol. in Proc. P. I. cap. 62. n. 4. Ord. Process. Sax. tit. 27. Carpz. P. I. Constit. 16. def. 35. Pro-

batio tandem non in transcurso facienda est, sed  
citata ad ejus expeditionem adque offerenda, si  
placet, Introgatoria der Frag-Stücke/ Adver-  
sâ parte & intra terminum à judice Productioni  
præscriptum. *Gail. lib. I. obs. 91.*

Thef. X.

Ast terminis probatorius in offerendis Ar-  
ticulis occupatus de jure Communi est arbitra-  
rius & judicantis moderationi hic multum conce-  
ditur L. I. cod. de dilat. sed de jure Saxonico ad  
certum temporis intervallum, nempè sex septi-  
manarum & trium dierum Germ. eine Sachsis.  
Frist est restrictus *Carpz. P. I. const. 16. def. I.*  
Eoqve elapso, nemo ad probandum amplius ad-  
mittitur Conf. Philipp. in Ord. process. Elect. Sax.  
tit. 20. considerat. I. Qvod secus se habet, si sal-  
tem demonstratio eine Bescheinigung sine ex-  
pressione certi spatii fuerit imposita *Schvenden-*  
*dörf. d. l. p. 650. seqq. Carpz. Proc. tit. 13. a. I. §.*  
*vlt.* Terminus iste probatorius currit de mo-  
mento diei in momentum, & qvidem ex eo,  
qvô sententia vires rei judicatae est consecuta &  
reliquis ejusdem capitibus satisfactum *Ord. Proc.*  
*Tit. XI. §. 3. in fin.* Desertâ verò probatione  
per neglectum dicti Termini, Actor causâ cadit,

&

& Reo definitivè absolvitur, qvale' præjudicium  
vid. apud Dn. *Rivinum in Spec. Except. c. II.*  
*p. 76.* uti viceversâ vincit, Reo probationem Ex-  
ceptionis sibi impositam deferente. Probatio  
autem licet facienda sit ante causæ conclusionem  
& sententiæ publicationem regulariter; In matri-  
monialibus tamen etiam post sententiam publi-  
catam eidem locus relinquitur: Sententia enim  
in causa matrimoniali nunquam transit in rem  
judicatam, si scil. contra matrimonium pronun-  
ciatur *c. 7. x. de sent. & de re judic. Brunnem.*  
*de Jure Eccles. L. 3. c. 9. §. 7. & ibi Dn. Stryk.*  
*Richter. Decis. 8. 33.* Examen testium deni-  
que potest fieri tam in loco judicii, quam extra  
illud, ubi judex sederit, qui audiendo testimo-  
nio præstet, examinatio tamen hodiè, secùs ac o-  
lim *L. 18. cod. de Fid. Instrum.*, facienda est  
remotis partibus *Schvendendorf. d.l. p. 1450.*  
etiamsi jusjurandum à testibus coram partibus  
præstetur. Quid verò judex ad egregias perso-  
nas (interdùm & ad fœminas,) aut qui valetudine  
impediuntur, domum mittere Notarium debeat;  
qui ibi illas examinet, *in L. 15. ff. de jure jur. ma-*  
*nifestè disponitur?*

B 3 Thesis

Thes. XI.

Finis probationis uti est fides facienda iu-  
dici L. 12. in fin. ff. de probat. L. 3. §. 1. & 2. ff.  
de Testib. Ita effectus eò tendit, ut judex sen-  
tentiam ferre debeat secundum probata L. 2. &  
9. cod. de Rei Vind. L. 6. §. 1. ff. de Offic. Präsid.  
Si ergò Actor intentionem suam plenè probave-  
rit, condemnatur Reus à judge: Sin verò Actor  
nihil probaverit, (alioquin enim pro re nata ju-  
ramento suppletorio aut purgatorio locus dabi-  
tur) tunc qvoq; ve absolvitur Reus, etiamsi hic ni-  
hil præstiterit L. 4. Cod. de Edend. Bachov. ad  
ff. Thes. 8. lit. c. d. nec opus habet Reprobatione  
eines Gegenbeweises / Actore probationem de-  
serente aut eidem renunciante, nisi ultra absolu-  
tionem qvid lucrari intendat, uti fit in Judiciis Du-  
plicibus seu Actionibus Mixtis. Schuvvendendorf.  
d. l. pag. 639. Et licet Reus in probatione defe-  
cerit, tamen non debet condemnari, si Actor non  
probaverit L. 9. ff. & Cod. de Except. Mascard.  
V. I. conclus. 36. n. 37.

Hæc sunt, qvæ in præsentiarùm  
de Probationibus tractare constitui.  
Non ignoro qvidem hâc de mate-  
riâ

riâ plura potuisse afferri. Qvo-  
niam tamen ob angustiam tempo-  
ris , dûm in Patriam abire iussum  
sum, plura adducere permisum mi-  
hi haud sit , finem nûnc huic Dis-  
sertationi præter intentionem im-  
ponere necessum habui. Qvapro-  
pter à Te, Amice Lector, majorem  
in modum peto, velis ea, qvæ forsi-  
tàn ad palatum tuum minùs aptè  
scripta videntur, pro benevolentia  
in me Tuâ non adeò rigidè taxare,  
mihiqve in diffcili hac in toto ju-  
re diffusa materia , ubi aliquid hu-  
mani passus fuero, eò faciliùs igno-  
scere, ac animô lingvâqve fayere.  
Deo interim Ter optimo Terqve  
maximo, qvi fons & origo existit  
omnis boni, sit Laus, Honor

& Gloria !

Ardua

**A**Rdua res fuerit, Te sic de-  
ducere causam,  
Ut dicat Judex: hanc satis-  
se probam.

**PRÆSES.**



**EUBIA**





Wittenberg, Diss., 1693



KOT





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

## Farbkarte #13



JURIDICA

1693

17

ONIBUS  
ÆDAM

A.

O,  
*Ctorum Ordine*

Academia

PIO

DI SVEVI,  
rum Juridico-  
fforis & p.t.

*Ctorum*  
Submittit  
II.

IGENMÜLLERUS,  
us.

Æ,  
GIANO.

3144

M

Z

2.